

69  
U. 21

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
De  
AFFECTIBUS

Quam  
Dirigente Trinuno Numine,  
Decernente & approbante Veneranda facultate  
Philosophica in Regia ad Salam Academia,

SUB PRÆSIDIO

Magnifici p. t. Rectoris,

*Reverendi & Præclarissimi Viri*

M. OLAVI UNONII,

Logices Professoris Publici, Præceptoris ac Promotoris  
sui reverentèr honorandi,

*Pro gradu & privilegiis in Philosophia obtinendis,  
publico examini submittit*

BRYNOLPHUS AND. LUNDELIUS,

S. R. M. Stipendiarius.

*Ad diem 23. Maij, in Auditorio veteri majori  
Anno M. DC. LV.*

---

UPSALIE,  
Excudebat JOHANNES FAULI, Acad. Typogr.

*[Handwritten signature]*

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
AFFECTIBUS

Diligente Titiano Nunnio  
Doctore & Approbato de Veterinaria Facultate  
in Philosophia in Regia Academia

200 PARS II

MOVAVI UNONII

Logice Professoris Publici Praeceptoris ac Prae-  
sidentis huius Universitatis honorandissimi  
P. JOHANNIS C. ...  
in Philosophia

RYNOLPHUS AND. ...

S. R. M. ...  
in ...  
anno M. DC. LXX.

...



P R O O E M I U M.

**Q**uemadmodum nullus hostis vel immanitate ferocior, vel viribus potentior, vel vafricie callidior, vel artibus ad fallendum instructior, quam is qui intra nos, tantoq; majorem habet ansam nocendi, quanto confinia castra remotis sunt infestiora, ita nec ullus majori cura, studio, opera, consilio repellitur, frangitur, superatur. Hinc nulla est victoria gloriosior, quam quæ de tali hoste reportatur. Indixere pridem bellum rationi, quâ unice à brutis distinguimur, nostræ cupiditates, & continuant etiamnum heu! non absque successu, usque dum nos occupabit moles hæc terrena, quæ à perfectionis arvitæ fastigio nos deturbat, ac retrahit. Cum his rationi luctandum, quibus dum moderamur, verè imperamus; non enim tam imperium dicendum, ubi aliis imperamus, quam ubi nobismet ipsis. Quare Eloquentiæ Magister, animum, inquit, vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, præclarum est. Hæc qui faciat, non ego eum summus viris comparo, sed similitimum Deo judico. Intellexit vir sapiens, nulla dote nulloque genere virtutis nos propius ad naturæ divinæ similitudinem accedere posse, quam imperio in nostros affectus obtento. Hi enim sunt qui frequenter & civitates & regna bellis committunt. Eleganter igitur Alphonsus Arragonum Rex agebat, si sibi contigisset nasci temporibus quibus Rom. Respub. florebat, se constructurum fuisse contra curiam templum Iovi, in quo priusquam in Senatum venirent Patres Conscripti, odium, amorem, ac privatos affectus omnes deponerent. Alludit ad priscorum morem,  
qui


qui Iovem multis cognominibus insigniebant, nunc Statorem, nunc  
Camelium, nunc Genethlium, nunc Phidium, nunc Xenium ap-  
pellantes. Ac si tam multa posset Jupiter, illud imprimis praestan-  
dum erat, ut in Synodis, in Iudiciis, in Senatu, in quibus de aliis  
consultatur, nihil haberent momenti affectus privati. Non enim  
quidquam inconvenientius est, nec perniciosius quam si quis aliis  
imperet, & affectus aliorum poenâ adhibita debeat coercere, à pro-  
priis autem ipse vincatur. Sicut itaque imperium illud, quod in  
nos ipsos exercemus, non vile est, sed splendidum, ita cum nostris  
affectibus indulgemus, mancipia reddimur iis detestabiliora, quæ  
apud Barbaros emi vendique consuevère. De his itaque jam  
breviter ut disseram, non tam dissuadet eorum sæpius ab aliis in-  
stituta tractatio, quam suadet Præceptorum benevolentia, mate-  
riaque utilitas tractandæ. Non enim satis dicitur, quod non satis  
discitur. Et quo frequentius affectus nostros cognoscere stude-  
mus, eo magis in nostri cognitionem descendimus. Tanto igitur  
Tibi Benigne Lector, propositum nostrum fore spero acceptius, quan-  
to es æquior, tuosque studiosior componendi affectus. Acturi  
igitur hic de affectibus tam in genere quam in specie, sed ea brevi-  
tate, quam ratio temporis imperat, precamur supplices Deum,  
dignetur nostro conatus ita favere & benedicere, ut omnis nostra  
hæc actio ab eo incepta in eum quoque desinat!

מעשה רדנו כוננו

DISPUTATIONIS  
DE  
AFFECTIBUS

Primo in Genere.

T H E S I S I.



Perationem animæ rationalis corpori conjunctæ etiam consistere in moderatione affectuum, apud omnes est inconfesso. His enim tanta perinobedientiam Protoplastorum accessit *αλαζία*, ut non rarò imperium excutiant rationis. Atque hic est Ethicus ille morbus, quem in lib. de Civ. Dei deplorat Augustinus. Et neminem profecto arbitror usu pollere rationis, qui in se non magnam sentiat vim affectuum, horumque non rarò cum rectâ ratione pugnam.

I I.

Quemadmodum igitur omni homini affectus suos regere & moderari incumbit: ita nemo facile negabit, quin affectuum consideratio, aliàs ad varias pro vario considerandi modo pertinens disciplinas, ad Ethicam præcipuo quodam jure

A

spectet.

spectet. Ea enim est, quæ etiam informat appetitum sensitivum, quem occupant affectus, ut obediat rationi libenter & cum jucunditate, sic ut nihil appetat, nihil agat, nisi quod ratio præscripsit, aut certè ne appetitus dominetur rationi.

### III.

Dicuntur affectus, quia vehementius concitati hominem afficere solent, *πάθη* sive passiones & perturbationes. Nisi enim ratione ac virtute coerciti fuerint, turbulenti sunt admodum ut cuncta permiscentes excæcent mentis clarum lumen.

### IV.

Essentiam autem eorum intricatiorem reddere divortia sententiarum. Non enim eandem de affectibus fovent opinionem Stoici cum Peripateticis. Quamvis nonnulli dicant dissidium hoc magis esse verbale quam reale. Ut ut est, arbitramur tamen Peripateticos rectiùs sentire meliusque loqui, sic affectus describentes:

### V.

Affectus sunt motiones appetitus sensitivi circa bonum aut malum sensu vel imaginatione perceptum, cum aliqua corporis mutatione ad persequendum bonum & fugiendum malum.

### VI. Quæ

## VI.

Quæ definitiva oratio resolvitur in *Genus & Differentiam*, quibus omne totum formale constat. *Genus* sunt *motiones*, quod hoc modo probari potest: Tria sunt in animo distincta, quorum unum alterum esse nequit, sc. *δύναμις*, *ἐξίς* & *ἐνέργεια*. Ad unum autem ex his affectus sunt referendi. Non autem ad primum, quia non ut potentiae affectus sunt perpetui. Neque ad secundum, quia affectus ante habitum surgunt, ut videre licet in infantibus. Ergo ad tertium referantur necesse est. Deinde, appellat etiam eos Philosophus expressè *ἐνεργείας* lib. 3. de anima c. 7. & *μεταβολὰς* lib. 2. Rhet. c. 1.

## VII.

*Differentia* reliquis continetur verbis, & à tribus hisce petitur, *Subjecto* sc. *Objecto* & *Fine*. *Subjectum* affectuum est appetitus, & quidem sensitivus, non intellectivus seu voluntas. Hoc inde constat: quia illud est subjectum affectuum, quod brutis cum homine commune est, cum affectus etiam illis competere testimonio sensuum clarum sit: sed voluntate, & ratione prorsus destituuntur bruta, qui ergo potest affectuum esse sedes? Deinde affectus fieri cum

mutatione sanguinis & spirituum ; experientia  
testis est ; voluntas autem etsi ab intellectus ju-  
dicio moveatur , motus tamen iste fit sine san-  
guinis mutatione & spirituum. Et profecto si in  
voluntate essent affectus , nequaquam toties tibi  
invito eos surgere videres.

### VIII.

Contraveniunt his Stoici, collocantes affectus  
in parte λογική. Hominibus enim ægrè ferentibus  
ærumnas hujus vitæ, causando affectus humanos,  
quibus impediti non possunt non doloribus suc-  
cumbere , respondent Stoici : falli hosce molles  
& impatientes , affectus esse in nostrâ potestate ,  
posse à nobis subjugari, si aliter judicaremus, &  
motibus illis non assentiremus, cum non sint nisi  
motus à pravo judicio orti. judicant itaque affe-  
ctus excindendos & sapientem ἀπειθήν esse oportere.

### IX.

Verum si discrimen animadvertissent , inter  
affectum propriè & impropriè sive per ἀναλογίαν sic  
dictum : Inter causam excitantem seu princi-  
pium, & subjectum in se recipiens : & denique  
inter ipsum motum naturalem , & vitium motui  
adhærens , omnia naturâ sua distinctissima, vix  
reor ita ipsos fuisse locuturos.

X. Pro-



## X.

Propriè dicuntur affectus ad appetitum sensitivum pertinentes, sed per similitudinem & impropriè, quando ad voluntatem referuntur subjectivè. Si enim quis velit eos reducere ad voluntatem, ut ad principium, causam excitantem & dirigentem, non negamus id propriè fieri. Nulli enim dubitamus, quin, sicut homo pluribus quam bruta obnoxius est affectibus, ita quædam perturbationes illi propriæ existant ortæ à voluntate ut à principio & causa. Sed nobis de subjecto recipiente est sermo. Duplici enim modo, inquit *Piccol. Phil. mor. grad. i. c. 9. Competunt affectus facultati: Primo ratione objecti perturbationis, & tanquam causæ principali moventis & excitanti perturbationes propriè sumptas: Secundo tanquam subjecto, in quo insit vera perturbationis forma.*

## XI.

Passiones etiam vulgo dictas spirituales, ut sunt: lætitia ex conscientia recte factorum: amorquo Deo adhæremus, & proximum nostrum ex præscripto complectimur: odium peccati: metus offendendi Deum &c. puto esse in mente; sed propriè non esse affectus, quatenus voluntatis

& mentis sunt solius, quia fiunt absque motione corporis & spirituum perturbatione.

XII.

Quod autem dicunt affectus excidendos esse, hoc ipso *αυτοχαιεσαι* injungere videntur. Sic enim *Lact. lib. 6.* differit: *Furiosi stoici, qui affectus non temperant sed abscindunt. rebus à naturâ insitis quodammodo hominem castrare videntur. Faciunt næ disputando sapientem debere esse ἀπαθῆ, ut in civili societate non toleretur. Quis enim cum eo conversabitur? qui nullis movetur affectibus, neminem amat, nemini juste irascitur, nullius miseretur, nulla re lætatur, nec ulla tristatur, quæ omnia Sanctissimis, etiam Servatori nostro tribuit scriptura. Absit igitur ut quisquam sanæ mentis pro hæc ἀνευδνοία pugnet.*

XIII.

Dices: sunt quidam tamen affectus per se mali & rationi adversi, ut sunt *Ἐπιχαρεια, ἀνευσχυρία, Φθῆσις* &c. in quibus non magis licet medium ferire, quam modicè insanire. Fateor, sed plus quam dolor aut voluptas sunt, itaque plus quam simplices affectus de quibus hic agitur, quorum excessus tantum inhibendus, cum *ἐπαὶ* illæ naturales sive motus per se non reluctantur rationi.

rationi. Perperam igitur affectibus tribuitur simplicibus quod vitio ipsi est adscribendum. *ἄνυξιαν* autem, impudentiam & invidiam quis negabit quin ipsa sint vitia? quibus non solum sapiens, sed quivis homo vacuus esse debet.

#### XIV.

*Objectum* circa quod affectus versantur, est bonum vel malum; utrumque vel revera tale, vel speciem tantum boni aut mali habens. Non enim absolutum, sed tantum comparatum de eo instituitur iudicium, ut exemplo est Medea illa Ovidiana videns meliora probansque sed deteriora sequens. *lib. 7. metam.* Tale autem objectum facultas cognoscens primo apprehendit, apprehensum vero proponitur phantasiæ, vel à sensibus externis, vel ab intellectu, quando objectum non incurrit in sensus externos, ut cupiditas gloriæ &c. *Æstimatur* itaque à phantasia antequam ad appetitum defertur.

#### XV.

Sed interdum contingit ut ratio cum phantasia consentiat, & tum objectum bonum recipitur, malum autem rejicitur sine ulla hæsitatione. Dissentiente vero ratione à Phantasia oritur fluctuatio, quæ prius non sistitur, quam ratio vice-  
rit

rit affectum judicio phantasiæ excitatum, vel affectus sibi rationem judicio phantasiæ obcæcãtam subjecerit. Cujus pugnæ veram causam prorsus ignorarunt gentiles, quibus non obrigit gratiæ lumen. Præcipuum igitur Ethices negotium in eo consistit, ut ratio consulatur, & consulta phantasiæ non subjiciatur.

#### XVI.

Dictum est in definitione: *cum aliqua corporis mutatione.* Omnis enim affectus conjuuctam habet corporis aliquam commotionem, ut manifestè in metu ac terrore apparet, quod etiam argumento est affectus radicari in facultate quadam materiali, non spiritali.

#### XVII.

Finis affectuum est *persequi bonum & fugere malum*, utrumque omni animali summè necessarium; quia in boni necessarii consecutione, & mali fuga incolumitas animalis consistit. Quis itaque affirmabit affectus hos simplices toto genere esse malos? Cavendum tamen diligenter ne effrenati imperium rationis excutiant, modumque honestatis excedant; sed ut monet Cicero *lib. 1. off. efficiendum ut appetitus rationi obediant, nec propter ignaviam aut pigritiam deserant,*  
*sed*

*sed sint tranquilli, ut ex iis reluceat constantia & moderatio.* Veniamus autem propius ad eorum considerationem.

XVIII.

Secundo in specie.

Generalem affectuum considerationem excipit specialis. De numero & divisione passionum animæ major est inter Philosophos dissentio, quam de iis curandis contentio. Neque tamen tantum in eo situm est momentum. Incommodè profectò haud videntur facere, qui ad quatuor affectus primos & simplicissimos objectis distinctos reliquos reducunt. Quosdam enim affectus excitat objectum bonum, & hoc vel absens seu futurum, circa quod Desiderium versatur; vel præsens, quo concitatur lætitia. Quosdam verò exuscitat malum objectum, absens vel imminens fugam, præsens vero tristitiam.

XIX.

Desiderium est affectus quo appetitur bonum absens. Appellatur aliàs concupiscentia, quæ duplex: naturalis, quæ est appetitio eorum, ad quæ naturæ necessitate compellimur: sic esuriens appetit cibum &c. & rationalis, eorum nempe quæ natura per se non desiderat, ut con-

B

cupiscentia

cupiscentia pecuniæ, gloriæ, honoris &c. hæc homini propria, prior cum beluis communis. Remedia contra immoderatam concupiscentiam possunt esse hæc duo: 1. Naturam paucis contentam considerare, nimis potius obrui, quam juvari. 2. Perpendere sperata sæpe nocuisse.

## XX.

Huc spectat amor, qui nihil aliud esse videtur, quam animi devinctio erga aliquid, sive id animatum, sive inanimatum, honesti, utilis & jucundi causa, excitata. Augustino amor dicitur anima quædam, duo copulans vel copulare appetens, amans scilicet & amatum. Hic affectus, ut & ira, cæcus dicitur effectivè; quia pulchra in re amata nimis extollit, vitia vero vel non videt, vel extenuat. Remedia amoris illiciti sunt: 1. fugere occasiones provocantes ejusmodi amorem. 2. Temperanter vivere. 3. Orare & laborare &c.

*Ores, casta legas, jejunes, otia vites:*

*Si servare voles corpora casta Deo.*

## XXI.

Lætitia est affectus, quo concitatur animus ex eventu rerum expetitarum. Dicitur aliàs gaudium, delectatio, exultatio &c. In hoc affectu dilatatur cor & diffunditur spiritus. Ex moderata itaque

Itaque lætitiâ corpus moderatè calefit, & hume-  
ctatur, fiuntque omnes vires vegetiores, repen-  
tina vera & immoderata sæpe vim vitæ infert,  
ut passim testantur exempla. Remedia contra  
illicitam, pro ratione objecti, sunt eadem atque  
amoris.

## XXII.

Fuga est affectus, quo recedimus à malo im-  
minente. Revocatur huc odium, quod opponitur  
amori, ex cujus explicatione intelligi potest.  
Differt ab invidia, quæ est ex alterius rebus se-  
cundis invidenti non nocentibus, odium autem  
ex eo quod noxium. Discrepat quoque ab in-  
dignatione, quæ Arist. lib. 2. Rhet. c. 9. dicitur  
*λύπη ὅτι τῆς ἀναξίας ἐπιεργίας* h. e. dolor ob alterius  
felicitatem, qui eâ est indignus. Remedia con-  
tra odium & injustam iram sunt communia:  
1. levibus rebus non offendi. 2. Vindictam dif-  
ferre, Deoque relinquere. 3. cogitare nos ipsos  
sæpe labi.

## XXIII

Tristitia est affectus ex apprehensione mali  
præsentis ortus. Huc pertinent: Misericordia,  
quæ est de alieno malo: Anxietas, cum spes non  
est refugii: Acedia, quæ addit anxietati corpo-

ris torporem, amputans quasi vocem præ nimia tristitia: item Invidia. Remedia sunt: 1. cogitare de conditione humana adversitatibus exposita. 2. Habere amicos compatientes. 3. Aliis delectari & avocari. 4. considerare calamitatem esse communem & brevem. Nam communia & brevina, etiamsi magna sint, tolerabilia esse solent, Cicerone testante. Atque hi affectus recensiti & alii plures, quos studio brevitatis præterire habemus necesse, pertinent ad appetitum concupiscentem. Sequuntur jam ii qui ad irascentem referri solent.

#### XXIV.

Quamvis hi appetitus re ipsa non distinguantur, munia tamen eorum sunt diversa; nam aliud est appetere bonum & fugere malum, aliud vero est tollere impedimentum boni & malum arcere. Hoc irascibilis, illud vero concupiscibilis appetitus esse dicunt. Sed singulis affectuum speciebus id applicare haud sustineo.

#### XXV.

Primum locum inter affectus *Superiores* vendicant spei, quæ definitur quod sit affectus, quo quis ad id, quod credit, se perventurum præsumit. Aug. lib. de civitate Dei. Aliàs dici potest desiderium  
excel-



excellentis boni cum fiducia obtinendi. Objectum spei habet has condiciones, quod sit bonum, arduum, futurum & possibile.

### XXVI.

Desperatio non solum importat privationem spei, sed etiam recessum à re desperatâ, propter impossibilitatem existimatam. Et sicut spes cum lætitia, ita desperatio cum tristitia est conjuncta. Vocatur ab Aug. in Psal. 50. homicida animæ. & ab Ambros. super Luc. certa mors.

### XXVII.

Metus est affectus ex malo ortus futuro, quod insuperabile existimatur. Remedia sunt: 1. æstimare pericula secundum circumstantias. 2. Exempla aliorum similia intueri. 3. Prævidere pericula, ut minus noceant 4. meliora sperare. &c.

### XXVIII.

Audacia est affectus quo aggredi audemus malum difficile cum certâ spe salutis. Sed non sunt tentanda quæ fieri non possunt. Quædam honesta ac magnifica sunt, sed magno Reipub. malo tentantur, si nequeas perficere. videndum itaque non solum quid per se optimum, sed quid pro temporum ratione possit obtineri.

### XXIX.

Hi quatuor affectus terminis inter se distin-

guuntur ; quia terminus à quo spei & audaciæ, est terminus ad quem desperationis & metus, ac vicissim. Priores vero opponuntur inter se ratione objectorum, utpote amor & odium, desiderium & fuga, lætitia & tristitia &c.

XXX.

Ira est affectus ex accensione sanguinis circa cor, ortus, quo ulcisci & punire libet eum, qui injuriâ læsisse videtur. Ira dicta videtur ab ire, quod irati & iracundi, quamdiu furor ille durat, non apud se sint, sed extra eant, pacati vero ad se redeant. Hic affectus si extra mediocritatis terminum ruat, non nisi morâ, teste Catone, ab insania differt. Heb. dicitur **אף** quod metonymicè faciem, quæ est quasi iræ index, & Synecdochicè nasum significat, in quo ira multam sedem habet. Hoc quoque Theocritus in Idyll. i. de Pan. fatetur.

ἀν

καὶ οἱ δριμύτια χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Pluribus nominibus Hebræi hunc exprimunt affectum, quæ omnia ejus impetum graphicè describunt. Ira enim moderabile nihil suadet. Per iram sapientia perditur, ut quid quo ordine sit agendum nesciatur omninò ; quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem per-

permovendo confundit. Per iram justitia relinquitur, quia dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut ceu bestia solus vivat. Et quid non vitiat immoderata ira? Apponam huc elegantissima verba Ambrosii Lib. 5. moral. *Per iram Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur: quia cum ira subtrahit quietem mentis, suam Spiritui sancto habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, & usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensus cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti.* Haftenus ille. Et hæc est causa, quod sapienter suos auditores admonuerit Plato, ut iratos se in speculo contemplarentur.

Atque hæc sunt quæ breviter de Affectibus in genere & specie hæc vice exercitii causa scripsi, non ut volui sed valui. Et cum noveris, optime Lector, materiem hanc esse difficilimam, non dubito

dubito quin quo candidior, eo æquior mihi existas censor, & conatui meo faveas, quod etiam per officiosè & quam diligentè obtestor.

SOLI DEO GLORIA.

*Ad Præstantissimum Humanissimumque Iuvenem*

DN. BRYNOLPHUM LUNDELIUM,  
SS. Theol. Studiosum & Phil. Candidatum egregium, Amicum & Popularem meum in primis dilectum, quum de Affectibus, pro Gradu Magisterii in Philologia, disputaturus esset,

E E A Σ T I X O N.

**A**ffectus frenare suos, quò major honestæ  
Pars vitæ est, tantò plus quoque molis habet.  
Exercent varii varias feliciter artes;  
Sed quotus est animi compos ubique sui?  
Ergo tuis meritò plaudent conatibus omnes,  
LVNDELI, Affectus dum cohibere doces.

Per amici affectus causâ  
scribebam

ERICUS ODELIUS  
SS. Theol. Prof. ord.

Honestissimis Dn. Candidati conatibus, disticho  
applaudere voluit

*Ἐν χαρίεσσαν ἔχων φύσιν, αὐτῷ μήποτε ῥίπταις  
φροντίδας ἐκ σέβων, εἰσπράων σφίην.*

HENRICUS AUSIUS  
Græcæ Linguae Professor.